



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Nota III. De voluptatibus licitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

lib. 2. c. 1. dub. 1. Coninck de Sacram. tom. 2. disp. 7. dub. 4. n. 19. & plures quos refert & sequitur Diana 1. part. tract. 17. resol. 12. Item Responsum illud editum Parisiis an. 1655. cui 18. Curiones & 12. Doctores Sorbonici subscripserunt in Matrimonii causa; quia huius responsum veritas eo præsertim fundamentum nititur, quod usus corporum, licitus scilicet, ad filios familias, non ad parentes petrineat. Quod autem in stupro Virginis consentientes, virginitatis circumstantia in confessione necessario explicanda non sit, docet De Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 218. Ubi citat Soto, Suarez, Valquez, Lessium, Sanchez, Coninck, Navarram, Tannerum, Megala, Molfesum, Dianam, additq; n. 227. stuprum distinctam speciem inducere, quando intervenit violentia, aut raptus, aut dolus, aut talis iniustitiae genus. Sed pudet diutius tractare fœces, quas toto libro passim aggeris. Quid aliud, quæso, scurra faculentus effunderet?

NOTA III.

De Voluptatibus licitis.

Turpissimam recentioris Apologistæ, illius scilicet, quem furiosum & immanem vocas, doctrinam commemoras; (a) qui scribit, multos graves Theologos docere, voluptates gustus æque licitas esse, ac auditus, odoratus, aspectus; easque moderatas scilicet, ex se indifferentes esse; & hanc doctrinam turpissimam censens, quam tamen docuere D. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. Scotus ibidem a. 1. concl. 1. Ockamus in 1. q. ad 1. Almainus tract. 1. moral. c. 14. Major in 4. dist. 31. concl. 7. Vis recentiores? Tablena v. ebrietas n. 3. Navarrus Manual. c. 23. n. 119. qui citat Cajet. in summa. Toletus lib. 3. c. 62. Lessius lib. 4. c. 3. n. 6. Summa Benedi. lib. 4. pag. 368. Ludovicus Bail pag. 555. & plures alii, qui docent, peccatum gulæ non esse mortale, nisi sequatur damnum aliquod notabile corporis, vel offendiculum. Immo S. Thomas 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3. peccatum gulæ constituit in gravi aliquo corporis incommodo ex ciborum superfluitate. Sed declamatorem agis. Ergone, inquis, nullum aliud Christianæ temperantiæ officium est, quam ut nos ab illicitis & vilitudini noxiis voluptatibus retrahat? ô bone, tuote pugione confodisti. Non agitur de virtutis actibus, sed de indifferentibus; agitur de iis voluptatibus, quas licitas esse agnoscis, quandoquidem vis temperantiam à licitis quoque retrahere. Igitur si quis eas amet, illicitum quidpiam non amat; igitur non peccat; nam licet temperantiam non exerceat, à gulæ tamen vitio abstinet. Locutur Cicero, quem adducis, ad rem nostram non facit, cum loquatur de intemperantissimis hominibus, quorum Deus venter est. Quis porro negat, immoderatas gustus voluptates vitiosas esse?

Nec est, quod Epicurum, vel Julianum Pelagii defensorem acerrimum, huius dogmatis auctores esse singas; cum celeberrimi suffragatores non desint. (b) Longissimus ille Augustini locus tibi adversatur; nec enim libidinem illam, vel cupiditatem tantulum immoderatam huiusmodi voluptatum, tam turpem, aut virtutibus inimicam esse voluit; sed minimum quid appellat; & licet malum esse dicat, si jam suppletur necessitate, amor edendi animum sollicitat, quia non nihil intemperantiæ est; nusquam tamen dixit, esse lethale noxam. (c) Subnectis Jesuitas concupiscentiam

vitium non agnovisse, qui fuit Juliani error, ac proinde erroneam & hæreticam eorum doctrinam esse, cum appetitum illum naturalem esse censent, quæ ipsissima est concupiscentia, primævi peccati miserum germen. Vah stultum caput. Quis unquam negavit vitiosam esse concupiscentiam & propensionem illam ad illicitas voluptates? quis tamen, nisi amens, nisi demens, nisi Janfenista, omnes motus appetitus, immoderatos, & quemlibet motum immoderatum scilicet, concupiscentiam, esse peccatum mortale sentiat? hanc distinctionem peccati mortalis & venialis rides, fat scio; sed eam Ecclesia, quod mihi satis est, agnoscit. Non dubitant etiam Jesuitæ, quin optimum factu sit, abstinere à licitis, ut ab illicitis abstinere discamus; ubi sanè suo prælucent exemplo. Utinam Parochi vultum tenui viduæ suas mentes condiderint! Non negant etiam, quin concupiscentia coercenda sit, jejuniis tractanda, aliisque piis cruciatibus in ordinem redigenda. Sed hæc vobis est terra Australis incognita. Quid ergo Augustini loca frustra in hanc rem congeris, quem hostem petis, mihi homo? sed tandem vide, quid tibi velis cum tuo Janfenio: Visa est enim peccatum esse, quia à Christiana virtute, imò & Charitate profectus non sit. Sed etas; namque sunt Christianæ virtutis actiones, licet Charitatis, ut Fidei, Spei, Pœnitentiæ: sunt etiam aliquæ virtutes naturalis ordinis, sunt demum aliquæ actiones ex se indifferentes; id est, quibus ad bonum & malum finem uti possumus. Hinc ruit tuum illud argumentum.

Alius porro fuit Augustiniana disputatio locus & finis, quam quæ hoc loco Jesu. is inepte applicas. (a) Agnoscunt ipsi peccatum Originale, & sumit peccati concupiscentiam; nec eam in ullo modo laudare corpus tamen per se non malum castigant, ut rationi serviat, ne scilicet voluntas corporis illecebris capax, iis contra legem Dei adhæreat. Sed bonus sum, qui hic disputo, ubi nulla est prorsus difficultas, nisi quia tua inscitia finxit, ut potè qui appetitum à concupiscentia, peccatum mortale à veniali, actum naturalem virtutis à supernaturali, ut vocant, licitum ab illicito, objectum indifferens à turpi & honello, actionem non malam à bona, præceptum à consilio; bonum opus à meliore, doctrinam Catholicam ab Hæretica, Jesuitas demum à Pelagianis nullatenus distinguat. Quæ cum ita sint, sapientibus cogitandum reliquit, utrum is, qui hæc alique huiusmodi non distinguat, dignus sit, qui cum Theologis disputet.

In decimam Epistolam,

NOTA I.

De absolutione differenda.

Recentioris Apologistæ ultro hic infectum eò quod scripserit, iis denegandam absolutionem plerumque non esse, qui vitiosam aliquam peccandi consuetudinem contraxerunt, quam licet ex animo detestantur, & sincere ab ea loquuntur, percutiunt; & licet Confessatis certus non loquatur, poenitens à peccato abstinere, si aliquo recte dispositus sit, etiam si dubitet de firmitate & constantia talis propositi, eum absolvi posse. (b) Quid in hac doctrina tam vehementer exaggeres, non invenio; nec ullam in ea video rationis depravationem, nec temerarium

(a) Pag. 223. (b) Pag. 224. (c) Pag. 225.

(a) Pag. 226. (b) Pag. 244.